Socolovii Stanislai: Conciones duae: altera de vestitu hæreticorum etc altera de causis excidii Hierosolymitani.

Leopoli. Nicol. Scharffenberg. 1578.

STANISLAI SOCOLOVII CONCIONATORIS REGII CONCIONES DVÆ.

Altera de vestitu Hęreticorum, & fructu hęreseon.
Altera de causis supremi excidij Hierosolymitani.



LEOPOLI,
Anno Dñi. M. D. LXXVIII.



DE VESTITV ET FRVCTV HÆRESEON.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS, QVI VEniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. MATH. VII.

AMATor salutis nostræ CHRISTVS Dominus, nullam rem nobis magis cauendam, maioreq́ studio ac diligentia declinandam esse, quàm falsos Prophetas: quos Paulus ac reliqua scriptura Hæreticos appellare solet, summa cautione, & monuit, & docuit semper. Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui ueniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus aũt sunt lupi rapaces. Nusquam scriptum legimus, attendite à Tyrannis, qui vos varijs tormentis, varijs cruciatibus à recta fide constantiq́ proposito vestro deterrere conabuntur. Nusquam dictum est, attendite à Iudæis, Gentibusq́, qui omnes conatus suos ad vos opprimendos, vestrosq́ labores inficiendos relaturi sunt: sed attendite, inquit, à falsis Prophetis. Cuius suæ tam diligentis & exquisitæ curę, duplicem reddit rationem. Primum propter illorum summam astutiam & calliditatem: qui inquit, veniũt Tit; 3.

 ad vos

ad vos in vestitu ouium, quod astutæ calliditatis est. Deinde propter summam crudelitatem, intus aũt sunt lupi rapaces, quod violentissimę cuiusdam rapacitatis esse censetur. Etenim, vt eos ipsos scopulos magis declinare solemus, inquit Gregorius Nazianzenus, qui sub aquis tecti delitescunt, quàm eos qui extant & eminent: ita & eos hostes maximè cauendos esse Christus Dominus pręmonet: qui sicut latentes scopuli sub aquis, ita illi sub vestimentis ouium occultantur: & qui tum demum se se produnt, cum iam nauis fracta, mercesq; disiectę sunt. Cùm pręsertim, vt inquit Ambrosius, Caput petant, iugulum inuadant, vitalibus vulnus infligant. De quibus illud rectè vsurpari potest. Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Hos igitur diligentissimè fugiendos esse, salutis ac incolumitatis nostræ amator eximius, Christus Dominus, nunc admonet ac præcauet diligenter. Cuius cautionis cum superiore anno magnam partem explicauerimus, de vestitu tantum ouium, quo falsi Prophetæ tecti ad nos venire solent: ac de fructibus ex quibus dignosci possint, nunc aliquid dicendum erit. Vt vbi eos semel cognoueritis, iam tandem aliquando amare desinatis. Nemo autem hac nostra offendetur Oratione, nisi qui prius se suo iudicio hæreticum esse condemnarit. Cuius nostri propositi initium à diuini numinis inuocatione capiamus.

In uita Basilij.

Super Lucam lib. 2. cap. 10.

Math. 10.

Attendi-

Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Quis igitur hic vestitus ouium? quæ hæc tam mollia & insidiosa vellera, quibus falsi Prophetæ oues Christi decipiunt? Alij aliter iudicant. Quidam orationes, eleemosinas, ieiunia, omnemq; vitæ continentiã, quam æquè boni ac mali simulare posunt, vellera Christi ouiũ appellare solent. Et re vera, hic vestitus sẽper Sanctorum Dei, qui sũt oues Christi, peculiaris fuit. Quidã Ceremonias ecclesiasticas, omnẽq; externũ cultum, indumenta ouium esse volũt. Alijs omnis ille durior vestitus, quo Heremitæ, quo Monachi, omnes item illi qui asperiorẽ vitam amplexi sunt vtũtur lana ouiũ videri solet. Verũ nobis de re maximi momenti aliquid magis serium, quodq; cum summa rei melius conueniat, quærendum est. Cuius rei fundamenta indè iaciamus. Omnis Hæreticus, teste Hyeronimo, hypocrita est: aliud agens, aliud simulans. Omnis porrò hypocrita non suo, sed alieno indutus vestitu incedit, qui est virtutis & honestatis, omniũq; eius partiũ simulatio. Cùm igitur hæreticus quisq; hypocrita sit, duplicem habeat vestitũ oportet. Alterum cum alijs hypocritis communem: Alterum qui illi proprius & peculiaris sit. Communis vestitus erit, quod pium, quod honestum, quod cum virtute prima fronte coniunctũ apparet; hæc enim omnibus hypocritis sunt cõmunia, in qui-

Hie. in 9. Isaie cap.

 bus dici

bus dici non poteſt, quantum veteres hęretici excelluerunt: quantum ieiunijs, orationi, quantū omni vitæ parſimoniæ & continentiæ ſtuduerunt. Nunc vt virtute ipſa, ita & omni eius ſpecie ac ſimulatione hęreſes carēt. At peculiaris veſtitus quis, de quo nobis præſens eſt inſtitutum? Dum totam Scripturam expendo, dum omnem antiquitatem percurro, dum noſtrorum temporum rationem diligenter intueor: non alium hunc veſtitum inuenio, quàm ipſum Verbum Dei, Sacramq́ ſcripturam, qua omnes errores ſuos, omnes fraudes, ſomnia, ineptias, ac deliramenta ſua hæretici, veſtire ac ornare ſolent. Hoc ita eſse, Primum veterum Pſeudoprophetarum exemplum docet. Omnes enim illi veteris teſtamenti falſi Prophetę, cùm aliquid nouum ad populum dicebant: ſemper illis vtębantur verbis, Hæc dicit Dominus: Hæc dicit Dominus: cum ſe illud dicere Dominus pernegaret. Deinde hoc idem Saluator innuit ad finem huius Euangelij dicens. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei. Ac ſi diceret, Non omnis ille qui ingeminat more veteris legis falſorum Prophetarum, Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui voluntatem facit Patris mei. Quod Petrus paulò clarius explicat. Quemadmodum, inquit, Paulus frater noſter chariſsimus oſtendit in omnibus Epiſtolis, in quibus ſunt quædam diffi- *2. Petr. 3.*

cilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cœteras scripturas ad suam ipsorum perniciem. Deprauabant autem vel falsa interpretatione, vel ipsius scripturæ inuersione, quorum nunc plena sunt omnia. Itaq; Diuus Ambrosius hac plena definitione hæreticos depingit. Hæretici ĳ sunt, qui per verba legis legem impugnant: proprium enim sensum verbis legis astruunt, vt prauitatem mentis suæ legis autoritate cōmendent. Sciens enim impietas multum valere autoritatem legis, fallaciam sub nomine eius componit: vt, quia res mala per semetipsam acceptabilis esse nō potest, bono nomine commendetur. Nam cùm sciant hæretici magnam esse Sacræ scripturæ autoritatem, ideò hac ipsa errores suos & deliramenta tegunt, suaq; testimonia minus valida, sacræ scripturæ autoritatibus allegant. Hæc Ambrosius. Idem ferè Vincentius Lirinensis, his verbis in libro de Antiquitate Catholicæ fidei docet. Quid est vestitus ouium? nisi Prophetarū & Apostolorum proloquia, quæ ĳdem quadam syncerítate, agno illi immaculato, qui tollit peccatum mūdi, tanquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregē Christi quaqua possunt dilacerant. Sed vt facilius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponūt lupinam speciem, & se se diuinæ legis sententĳs, velut quibusdā

Ambros: super epistolam ad Tit: cap: 3. Tom: 3.

Lirinens: lib: 1. cap: 36.

vlleris

velleribus obuoluunt: vt cum quisq; lanarum mollici-
em præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertime-
scat. Hæc Lirineñ. Nemo ex veteribus hæreticis, tam
impurus, tam impius: nemo tam absurdus perditusq;
fuit, qui non suum errorem ex his, quas nunc in mani-
bus habemus, confirmaret scripturis. Videre hoc licet
apud Irenæum, Tertulianum, Epiphanium, cœterosq;
qui eorum sententias argumentaq; retulerunt, acerri-
meq; refutarunt. Non contentus erat vno & alio sa-
cræ scripturæ loco ad sua cõfirmanda, Valentinus atq;
Martion: nisi vniuersum nouum Testamentum, om-
nesq; Pauli Epistolas suis accomodarent sententijs: ac
si in opere incrustato & vermiculato, translatis lapil-
lis, ordineq; mutato, ex homine facerẽt Vrsum aut Le-
onem: quam similitudinẽ venustissimè Irenæus contra
Valẽtinũ ante mille trecẽtos annos his verbis explicat.
Ireneus lib. 1. ca. 1. contra hæreses.
Cùm igitur talis sit ipsorum doctrina, quam neque
Prophetæ prædicauerunt, neq; Dominus docuit, neq;
Apostoli tradiderunt, quam de vniuersis iactant se plus
alijs cognouisse, ex non scriptis legentes, & quod dici
solet, ex arena funiculos nectere studentes: ad facien-
dam fidem conantur prædictis adaptare, aut parabolas
dominicas, aut sermones Propheticos, aut dicta Apo-
stolica, quo figmentum ipsorum non testibus carere vi-
deatur, ordinem & seriem scripturarum transilientes, &
quantum in ipsis est mẽbra veritatis soluentes. Trans-
ferunt

ferunt enim & transformant, & aliud ex alio facientes, multos decipiunt per malè compositam Dominicorum verborum adaptatorum sapientiam. Quemadmodum si quis regiæ imaginis pulchræ, ex preciosis lapidibus fabricatæ à sapiente artifice, subiectam hominis formam soluat, & lapillos illos transferat & accommodet, ac faciat formam canis aut vulpeculæ, atq; hanc malè fabricatam. Deinde præscribat ac dicat, hanc esse regis imaginem illam pulchram, quam sapiēs artifex fabricauit, ostendens lapillos illos à primo artifice probè in regis imaginem compositos, verùm malè à posteriore in canis formam translatos: & per lapillorum apparentiam seducat imperitiores, qui regiæ formæ notionē non habent: & persuadeat, quòd hæc putrida vulpeculæ forma sit pulchra illa regis imago. Ad eundē sanè modum etiam hi anicularum fabulas consuentes, deinde verba & dictiones & parabolas vndecūq; detrahētes, ad aptare volūt fabulamētis suis eloquia Dei, hęc Irenæus. Infinitis locis scripturæ, minorē filium Patre iactitabat se demonstrare Arrius; Nestorius sacram Scripturam se primum, & solum intellexisse, & omnes illos ignorasse, quicunq; ante se magisterij munere præditi, diuina eloquia tractasent, falsò solebat dicere. Ita vt Tertulianus alicubi Euangeliū librum hæreticorum appellarit. Abundè hoc idem docet nostra ætas, quæ cum in sexcentas scissa sit hæreses, in sexcenta schismata; quæ ta-

men omnia vera esse non possunt, cum vna sit & simplex veritatis via: nulla tamen est, quæ non suum sacræ scripturæ testimonijs tueatur errorem. Et eò magis quò absurdior, quò exitiosior est: quod in Anabaptistis Arrianisq; videre licet. Hic igitur est peculiaris Pseudoprophetarum vestitus: hæc mollia vellera, Non
Math: 15. ieiunat quis, lupus est: vestitus autem ouium ille, Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. Non orat quis,
Math: 6 hic lupus est: vestitus autem, Orantes nolite multum loqui. Non vult quis subesse magistratui, lupus est:
Acto: 5. vestitus autem ouium, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Confiteri peccata erubescit quis,
Psal: 18 lupus est: vestitus autem ouium, Delicta quis intelligit? Continentiæ quis rumpit vota, lupus est: vesti-
Math: 19. mentum autem ouium, Non omnes capiunt verbum hoc, Non reddit quæ sunt Cæsaris Cæsari: quæ Dei Deo, lupus est: vestitus autem ouium, Gratis habe-
Math: 10. tis, gratis date. Baptismum iterat, lupus est: vestis au-
Mar: 16. tem ouilis, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Minorem patre filium iactat, lupus est: vestimen-
Ioan: 14. tum autem, Pater maior me est. In nulla parte virtutis & honesti se exercet, lupus est: vestimentum autem,
Rom: 3. Arbitramur hominem iustificari fide sine operibus. Pulsat quis pauperes, damnat innocuos, expilat vicos, & oppida, peregrinos & mercatores mercibus expoliat,

lupus

lupus est: vestitus autem, Si autem impius egerit pœ- Eze. 18.
nitentiam &ct. Misericordiæ Domini multæ, sed &
cruces scelerum plurimæ. Hi sunt vestitus Pseudopro-
phetarum, in quibus ad nos veniunt, intus autem sunt
lupi rapaces. Neque tamen ideò sacra scriptura, aut
accusanda, aut reijcienda est: aut illa ad omnes erro-
res cōficiendos, omnemq; Christianam doctrinam sta-
biliendam minus vtēdum erit, quòd ea hæretici peruersè
abutantur. Sed quemadmodum oues non ideò velle-
ra sua abijciunt, quòd eis aliquando lupi induti conspi-
ciantur: quin eò magis ea tuentur, atq; ab omni lupo-
rum iniuria defendunt: ita etiam non eam ob causam sa-
cra scriptura abijcienda erit, quòd hæretici ea ad suum
& aliorū exitium malè vtantur. Hoc tamen sciendū est,
sub hoc vestitu lupum aliquando latere posse. Neque
statim, vt quis aliquot scripturæ loca appellare potest,
eum sequendum esse: cum hic communis æquè lupis
ac ouibus, vestitus esse possit. In quo genere Diabolus,
hæc nostra tempora ita fascinauit, vt nemo tam absur-
da doceat: modò Paulum vel Ioannem appellet: vt
non hic statim quintus quidam Euangelista esse cense-
atur. Attendite igitur vobis à falsis Prophetis, qui ve-
niunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem
sunt lupi rapaces. Quomodo autem falsi à veris di-
gnoscendi sunt, vbi sacræ scripturæ allegatione non co-
gnoscuntur, docet Euangelium. Ex fructibus, inquit,

 eorum

eorum cognoſcetis eos. At qui iſti fructus? non idem ſentiunt omnes, & res ipſa ſubobſcurior eſt. Noſtri temporis hæretici, ſed & veteres referente Auguſtino, auaritiam, ambitionem, ſymoniam, luxum, vſuram, adulteria, ebrietatem, ac reliqua quæ carnem conſequuntur vitia, eos fructus interpretantur. Quibus cum Eccleſiaſticũ Clerum planè diffluere vidiſsent, inde populo perſuadere conati ſunt: Clerum Eccleſiaſticũ falſos Prophetas eſse ex his fructibus dignoſcendos. Fuit hoc ad vulgus, in cuius oculos tot, & tanta noſtrorum incurrebãt vitia argumentum efficaciſsimum: his talibus retibus, tanta irretita eſt hominum turba. Plauſibile ſanè argumentum: dolendumq; eſt Chriſtiani mei, vobiſq; inprimis Sacerdotes, vos tantum contra ordinem veſtrum erexiſse firmamentum: illiuſq; vim in dies magis ac magis, immenſa cupiditate, ambitioneq; veſtra augere. Hos tamen non eſse veros fructus, ex quibus veri à falſis dignoſci Prophetæ poſsint, facilè apparet. Partim quòd hæc vitia cum hypocriſi pugnant: patent enim, & in oculos hominum incurrunt, nec benè cum veſtitu ouium conueniunt. Nemo vnquam Arrio, nemo Photino adulterium, nemo ebrietatem obiecit: facilè ab his cauent illi, qui nocentiora venena ferunt. Partim quòd hæ labes omnium ſunt temporum: ſiue hæreſes vigeant, ſiue omnino ſint nullæ. Quod enim vnquam tempus, tam felix, tam beatum fuit, quò his neuis Respublica

ſuper 10 pſalmum.

Christiana caruerit? Itaq; fructus potiùs carnis quàm hæreseos, hæc vitia scriptura nominare solet. Manifesta sunt inquit Paulus opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia &c. in quibus, & ipsam recenset hæresim. Abundarunt hoc genere vitiorum veteris legis Pontifices & Sacerdotes; nusquam tamen eos scriptura, nusquam ipse Christus Dominus, in falsorum Prophetarũ censum retulit. Caiphas Symoniacus sacerdos: futura tamen verè prædicit: expedit vnum hominem mori ne tota gens pereat. Erat enim inquit Ioannes Pontifex anni illius. Quid Iudas Scariotes? sed & ipsum Petrũ reprehensibilem fuisse legimus. Verùm hæc sublata iam esse videtur controuersia. Ita enim isti, cum plerisq; nostris in pari lance malitiæ constiterunt; æquè improbi, æquè sunt vitiosi; vt possint rectè inter se, alea iacere, vter melior. Itaq;, & ipsi, non valde hunc locum vrgent; cùm presertim illo manifestissimo Christi testimonio conuincantur: super Cathedram Moysi sederunt scribę & Pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite; secundum autem opera illorum, nolite facere. Vel ipsis ergo testibus, magis proprium, magisq; peculiare quid, quærendum erit. Fructus igitur hæreseos tales esse debent, qualis est ipsa Hæresis: quæ cum non ad vnius hominis exitium: sed ad totius corporis Christi labefactationem comparata sit: fructus etiam eius illi erunt, non qui singulis noceant, sed qui ad totius cor-

Galat: 5.
Ioan: 18.
Paulus ad Galat: 5.
Math: 23.

us corporis Christi, quæ est Ecclesia, ruinam & desolationem referantur. Fructus enim radici respondere debent. Radix totum inficit corpus: fructus igitur similes quærendi. Quos ipsa scriptura duoq; ex principibus Apostolis Iesu Christi: Paulus vas electionis, & Iudas frater Iacobi abundè explicât. Neq; enim quicquam in hoc tam ancipiti loco, ex meo iudicio adferendũ putaui.

Iud: in sua epistola. ¶ Quorum primum, Iudas Apostolus, his recenset verbis, Dominationem inquit spernunt, Maiestatem autem blasphemant. Vt enim primus Apostata & hæreticus Lucifer, nimia arrogantia, contra Deum elatus, omnipotentis Dei dominationem spreuit, dum ei par per omnia esse vult: simulq; Maiestatem eius blasphemauit, cum inquit. Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis altissimo: Sic vniuersa eius propago. Schismatici & Hæretici, non illam primam & principẽ solum: sed etiam hanc secundam & viccariam, potestatem spernunt, Maiestatem blasphemant. Nunquam Martinus, nunquam Caluinus, Pontificem Romanum, cuius Cathedram Apostolicam Sedem, omnis antiquitas sanctissimè appellauit, & venerata est, nisi Antichristum: nunquam Pontifices, nisi monstra & portenta: nunquam Sacerdotes, nisi Ministros & vasa diaboli: nunquam Reges & Principes Catholicos, nisi Pharaones, tyrannos & libertatis publicæ oppressores appellare solent, Scripta illorum testantur, res negari non

Esai: 14.

potest.

potest. Et cum authoramentum Maiestatis lex sit, leges enim vos Principes magnos & admirandos faciunt; Omnisq; hæc vestra dignitas, & auctoritas ex legibus, tanquam firmissimo præsidio dependet: idem legum, qui & maiestatis hostes sint oportet. Hinc illa Ecclesiasticarum primum, deinde ciuilium legum & sanctionū abrogatio: hinc patriarum constitutionum immutatio. Legibus enim integris & sartistectis conseruatis: nequaquam neq; dominationem spernere: neq; Maiestatem blasphemare, impunè auderent: quinimo his stantibus & vigentibus, ipsi nullo modo stare, ac sese diutius tueri possent. Primus itaq; fructus hæreseos est, dominationis & maiestatis diminutio, legum autem antiquarum abrogatio, ac plena extinctio. Quis hæc docet? Iudas Apostolus frater Iacobi. Dominationem, inquit, contemnunt, Maiestatem autem blasphemant.

¶ Secundus eius mali qui ex hoc primo nascitur fructus, est inobedientia. Væ væ, inquit idem Iudas, qui in contradictione Core abierūt. Quam contradictionē sic Moyses exponit: Core, Dathan & Abiron, Leuitici generis fratres: qui ad figendum deportandumq; tabernaculum, ac reliqua minutiora, cultus diuini munera erant destinati, Moyse & Aarone Principibus sacrorum & Reipub. spretis, in munus & officium sacerdotale sese temerè ingesserant. Misit igitur Moyses, vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab: qui responderunt, non Num: 16.

Num:16. veniemus &c. Iratusq́ue est Moyses valde, dixit ad Dominum. Ne respicias Domine sacrificia eorum: tu scis, quód nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis: nec afflixerim aliquem eorum. Contradictio igitur Core, Inobedientia est, ac non expectata legitima vocatione, in alieni muneris functionem temeraria inuasio: quæ ex magistratus æstimatione leuissima nascitur. Qui fructus, an nostra ætate satis superq́ue, his magistris & doctoribus non refloruit? Mandat quid vniuersalis legitimè congregata Synodus, reclamat populus: non faciemus. Mandat Sacerdos, reclamat laicus: non faciemus. Mandat Rex, itidem subditi: non faciemus. Mandat Dux belli, reclamat miles: non faciam. Ab his autem maioribus ad minora est profectum: vt neq́ue seruus domino, nec filius patri, neq́ue vxor viro, nec discipulus officinæ magistro, aut parere aut subesse velit, sed omnes id faciunt, quod bonum esse videtur in oculis eorum. Quàm freqnens hæc vox exauditur: non faciemus: non veniemus; ipsi videtis. Malæ igitur arboris hic est secundus deterior fructus, qui ex legum magistratusq́ue contemptu exoritur. Væ igitur væ, qui in contradictione Core abierunt.

¶ Tertius autem ille. Nubes, inquit, sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Quæ nihil aliud designat:

ſignat:quàm perturbationem omnis tam Politici,quàm
Eccleſiaſtici ordinis, qui tertius eſt huius mali fructus.
Quid enim nubibus vacuis, magis inordinatū? quid flu-
ctibus maris proceloſi magis incompoſitū? quid ipſis ſy
deribus errantibus,quæ nūc huc, nunc illuc temerè ferū-
tur magis incertum? Sequitur autem naturæ ordine, il-
los duos hic tertius fructus. Vbi enim nulla eſt obedi-
entia: vbi nulla maioris vel minoris ratio & differentia:
vbi ſuperioris & inferioris nulla comparatio : ibi nul-
lus certus ordo, nullus certus concentus ſit oportet. Ex
ſummis enim,& infimis,& medijs, moderata ratione in-
teriectis,omnis emanat ordo. Quod vbi non eſt,ibi om-
nia incerta, omnia vaga, omnia fluctuantia ſunt,infini-
tisq; procellis & tempeſtatibus agitata feruntur. Om-
nes apud iſtos Pōtifices,omnes Sacerdotes, omnes Re-
ges,omnes belli Duces,ōnes Doctores,omnes deniq; om
nia cenſeri volunt. Qua enim ratione,ius & ordinē vllum
inter ſe conſeruabunt illi ; qui ſibi mutui ſceleris conſcij
ſunt? qui omnes ex æquo ab eo quòd legitimum, quod
cum veteri more coniunctū eſt receſſerunt? quibus pro-
pria libido præeſt ac dominatur. In rerum igitur omni-
um confuſione, quem tu ordinem inuenias?

¶ Quem fructum ille quartus,vi & natura conſequi-
tur ſua , quem idem explicat Iudas. Murmuratores &
queruli, ſecundum deſideria ſua ambulantes, os eorum
loquitur ſuperbiam qui ſe ipſos ſegregant , id autem eſt

 factio-

factionum & dissensionum auctores, pacis vero & publicæ trãquillitatis perturbatores. Pax enim, vt doctissimis placet, nihil aliud est, quàm tranquillitas quædam ordinis. Vbi igitur nullus est ordo, sed potius omnis ordinis peruersio: ibi pax nullo modo esse potest. Rixæ, factiones, dissensiones, in mutuum exitium conspirationes: hicq; domestici tumultus, bellaq; ciuilia, quibus nunc orbem terrarũ ardere videmus, occupant omnia. Nobis verò inter se dimicantibus, ac vires mutuas atterentibus: & veluti in vtero vnius matris Ecclesiæ, more Iacob & Esau colluctantibus: contra hostes Reipub: Christianæ, nihil præclarum geritur: opes Saracenicę indies crescũt: Vrbes, Regna, Insulæ in eorũ potestatem succedunt, nihil nostrum vel ioco concupierunt, quòd seriò non obtineant. Nobis interim pro scholæ quæstionibus, quarum finis nullus est decertantibus, qui pro Regnis & populis Iesu Christi sanguine quæsitis pugnare debebamus. Quid enim ab eo tempore, ex quo hæc labes Rempub. Christianam occupauit, præclarè contra hostem nominis Iesu Christi actum est? quid illius Regno quæsitum? quid laudis & nominis gestum? õnia ruũt & retrò collapsa refferũtur, omnis virtus Christiana cõticuit. Sexcẽtæ licet fiant inter nos cõfæderationes, sexcentæ compositiones: pax tamen non erit. Pax enim tranquillitas est ordinis: quæ vbi non est, nulla itẽ pax sit oportet, ipsa naturæ vi & æquitate ita cõcludente.

re. Multũ quidem valent humanæ sanctiones, multum leges: naturam tamen rerũ inuertere & immutare non possũt. Non est pax impijs, dicit Dnũs. Impij tanquam mare feruens, quod nunquam quiescere potest. Ita qui pacem inter Hæreticos, vel cum Hæreticis facere velit: nihil aliud agit, quàm arenam sine temperamento glutinat: quæ nunquam natura sua cohæret, nunquam diu in vnitatis vinculo permanere potest. Neminem enim pacem suam tenere posse, qui pacem Dei repudiauit: præclarè dixit Hegesippus.

Isai: 48. 57.

li:5. ca:2.

¶ Obstat enim & impedit ille quintus qui hos sequitur fructus. Væ illis, qui in via Cain abierũt, & in errore Balaam mercede effusi sunt. Via Cain, summum quodam & irreconciliabile odium, ex inuidia natum, omnéq; fraternæ charitatis abolitionem designat. Via Balaam populi Dei, eiusq; castrorũ infestationem, ac omni genere conuicij & maledicti proscissionem. Vbi enim nulla pax, ibi charitatem fraternam nullam esse oportet, ibi conuicia & maledicta occupãt omnia. Habetq; hæresis quoddam peculiare, ab alijs omnibus disiunctum odiũ. Quærit Iosephus, quæ causa fuerit, cur cum reliquæ omnes gentes, in aliquam societatis vnionem, cum alijs nationibus venirent: Iudæi soli, nullam vnquam firmam & constantem amicitiam cum cœteris gentibus coluerunt. Reddit non aliam rationem, quàm disparitatem & dissimilitudinem cultus & religionis: odiumq; quod

Iosephus contra Apionem.

De diuinis nominibus cap. 5.

inde manat implacabile. cum illi vnum solum, alij omnes infinitos coluerint Deos. Demonstrat hoc idem Dyonisius Areopagita, Geometrica quasi demonstratione. Vt inquit: Lineæ quanto remotius à centro discedunt, & numeri ab vnitate quanto magis distant: tanto etiam plus abinuicem separantur, maioreq; interuallo absunt. Sic homines, quanto magis à Deo, qui est rerum omnium primum principium & centrum, omnisq; vnionis fons & origo: veraq; de illo opinione discedũt: tanto magis à seipsis distant ac seiunguntur. Nihil ibi in commune consulitur; nihil ad omnium salutem refertur; nulla totius corporis suscipitur cura: hoc solum vtile est, quod alteri nocet; ex alieno incõmodo sua quisq; sibi parat commoda. Nunquam pacem & concordiam illud regnum speret: quodcunq; dispares & pugnantes hæreses semel, intra sua susceperit viscera: frustra impossibilia tentantur, quod nunquam in eo decursu sæculorũ fuit: nunc certè, quomodo fieri posit, non video.

¶ Sextus fructus eius morbi, ab eodem Apostolo explicatur. Hi autem quæcunq; quidem ignorant, blasphemant: quæcunq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Quod nemo alius facit. Nam Philosophi &si nobiscum non sentiant: nostra tamen conuicijs & maledictis non traducunt. Ita sint duo, alter Philosophus quis, Aueroèm vel Auicenam sequutus: alter Hæreticus: vterq; Deum vnum

num & trinum non agnoſcit: vterq; Chriſtum ex virgine natum negat: vterq; ſub ſpecie panis & vini, verum corpus & ſanguinem Chriſti contineri non cenſet. Hoc tamen inter vtrumq; intereſt: quòd alter argumentis contentus, non amplius progreditur: alter vltra argumenta, nefandis blaſphemijs, omnia inquinat & cóplet. Quæ enim & qualia in Dei filium, quæ in virginem ſanctam, quæ in Sacramenta, diuina ſymbola maledicta conferant? ea, & dicere, & audire, piaculum eſt, longè certè acerbius, quàm illi: Si filius Dei eſt deſcendat de cruce. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Non intret anima mea in cóſilium eorum, & in cœtu eorum, non ſit gloria mea. Gene 49.
Nec ſatis eſt ipſos ita petulantes, & maledictos eſse, hacq; ratione æterni Regis maieſtatem lædere: ſed illud efficiunt, vt nomen Dei, nomen Ieſu Chriſti, eiusq; Sacroſanctæ religionis, blaſphemetur vbiq; in gentibus. Quis enim ex his qui foris ſunt, eam religionem admiretur: quis ſuſcipiat & non potius contemnat ac deſpiciat, quæ in tot hæreſes, in tot diſsidentia ſchiſmata ſit diſtracta: & quæ de ſuis ſacris tam malicioſè, tam petulanter, tam impudicè ſentiat & loquatur. Non modò igitur ad lumen veritatis infideles his iſtorum moribus non redeunt, ſed magis in ſuo errore tenebriſq; confirmantur. Ad quos enim potius in tãta ſententiarum varietate ſe conferant, aut quomodo illos ſequantur, qui i-

psi vbi certò defigant pedem non habent: Ita vt planè portas salutis omnibus gentibus, vita & moribus nostris claudere videamur. Et vt quondam Pilatus tradidit Christum cohorti ad illudendum, conspuendum, flagellandum, ac omnibus contumelijs diuexandum: ita nũc Hæreseon ac Schismatum magistri, eundem Christum, eiusq; vnicam sponsam Ecclesiam exponunt ijsdem gentibus: vt denuo flagelletur, conspuatur, ac varijs probris contumelijsq; ipsi illudatur, nullo vnquam tantum scelus dignè expiaturi æuo. Asume Domine zelum pro nomine sancto tuo.

¶ Septimum mali seminis germen illud est, gratiam Domini nostri Iesu Christi transferre in luxuriam, quod sic docet idẽ Iudas Apostolus. Subintrauerũt enim quidam homines, qui olim perscripti sunt in hoc iudicium impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriã. Vt enim veterator ille paradisi serpens, eam ipsam prolixam & liberalem munificentissimi parentis gratiam, qua in omni honeste voluptatis & delitiarum genere primos nostros constituerat parẽtes, in exitialem transferre voluit luxuriam: ita vt nimia petulantia & insolentia eius suasu cõtra parentem suũ elati, Dij planè effici voluerint. Sic isti crucis Iesu Christi, vulnerũq; eius, mortis & sanguinis liberralissimè in precium & ablutionem totius mundi in ara crucis effusi, gratiam volunt transferre in luxuriam, non tanquam exemplum imitati-

mitationis, ſed quaſi velamen habentes maliciæ, vt di- cebat Petrus. Quodne fiat diligentiſsimè ſuos monet Galatas Paulus: vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantumne libertatem in occaſionem detis carnis. Lau- dent quantum velint in primis ſuis initijs hæretici, om- nem vitæ continentiam & ſanctimoniam, Catharos An- gelicos, Apoſtolicos Apotacticos id eſt ſelectos more veterum, Gnoſticorũ, Martioniſtarum, Valentinianorũ, ſeſe ambitioſè appellent: ad vltimũ tamen, omnem Dei gratiam transferunt in luxuriam. Notum eſt in quam fœdas ac planè infandas libidines prioris ſeculi hæreti- ci, ad extremum præcipitabantur; ſed & noſtri, ieiunia primum, vigilias, cilicia, humi cubationes ſuſtulerunt, virginitatem tanquam rem Deo & naturæ aduerſam & inimicam reiecerunt, clauſtra Monaſteriorum ac voto ſuſceptæ pudicitiæ perfregerunt, Polygamiã laudarunt, vltimo Adamiſmus quidã turpis, & nefarius introduct9 eſt: ſic ſemper hæreſis gratiam Dei transfert in luxuriã.

1. Petr: 2.
Ad Gal: 5.

¶ Octaua demum eius peſtis labes eſt: perpetuus in deterius profectus. Hunc fructum Paulus ad Thi- moteum ſcribens ſic explicat, Semper, inquit, diſcentes, & nunquam ad perfectionem cognitionis peruenientes. Mali autem homines & ſeductores proficient in peius, errantes, & alios in errorem inducentes. Et paulò poſt. Iniquitas autem eorum proficit in peius, quorum ſermo ſerpit tanquam cancer. Mille quingentis ſeptuaginta

2. Tim: 2.
2. Tim: 3.

octo annis, res Christiana in dispensatione potestatis à Deo ordinatæ, inter tot persecutiones, inter tot feri, ingenij, & linguæ impugnationes, inter tot hæreses & schismata, integra & intemerata, conseruata est. Articuli fidei, sacramentorum dispensatio, libri sacri, eorumq́; interpretes, canones, consilia, Synodi, Patres, ceremoniæ, sacra, ordines, ordinumq́; functiones, incorrupta, immutataq́; manent. Sexagesimus vix intercessit annus, ex quo isti noui dispensatores in eam inuaserunt possessionem, & iam vix reliquias eius, quod à nobis acceperunt, depositi tuentur. Sic prophanata, sic conculcata sunt omnia: dum hoc anno eam inficiunt religionis partem, alio aliam, & iterum aliam: donec totum fidei & pietatis corpus hic letalis absumat Cancer. Vnde cœptum sit videtis, & quò profectum. Quorsum illa aqua lustralis, quorsum euaserunt Indulgentiæ. Auctores ipsi vix sua recognoscerent dogmata. Neq; verò in peius proficiunt, tantum: sed in quo maximè admirari licet summam diuinæ potentiæ vim, in hominum malicia & curiositate vindicanda planè in contrariũ recidunt sensum. Quantum fidei dignitatem & amplitudinem, supra quam etiam necesse fuit extulerint, nemo est qui ignoret. Nunc ipsi vel penitus nihil credunt, vel in omni parte fidei sensum & experimentum quærunt: suntq́; nonnulli qui in solis bonis operibus cum Pellagianis totam salutis spem putant repositam esse. Verbum Dei, Euange-

Euangelia ipsa, Pauliq́ꝫ scripta, quibus laudibꝫ in cœlũ ferebãtur scimus: nihil detrahendũ, nihil apponẽdũ esse, quam magnificè docebãtur nõ ignoramus. Nũc Moyses multis placet, Christus & eius Euangeliũ displicet, nouum Testamentum recens quoddam opus esse videtur: nec multorum, aut temporum, aut hominum auctoritate comprobatum: veterem legem & antiquitate & iudicio omnium gentium plurimum valere: quomodo omnes illi sentiunt qui noui Iudaisantes dicuntur. Quid de Sacramentorũ vi, integritate, veritate, sanctitate, frequenti vsu, quàm præclara vt quidem videbantur quondam tradebant. Nunc vel nuda quædam & egena elementa esse dicunt, vel illis penitus non vtũtur, Maledictũ illum esse prædicabant, qui cõfideret in homine, quiue carnẽ suam poneret brachium. Nunc ipsi nudum & simplicem hominem Iesum Christum, vt quidem illi autumant, colunt, & adorant, grauissimo idololatriæ delicto obnoxij. Totum certamen pro gloria, laude, maiestate Iesu Christi se suscepisse profitebãtur. Nos hostes & proditores cultus ac nominis eius, tertio quoq́ꝫ appellabant verbo: nunc eum quem Pater glorificauit, & in quo summam splendoris gloriæ suæ collocatam esse voluit; ita vt qui non honorificet filium, non honorificet & patrem, infra Angelorũ etiam constituunt sortẽ, ac ne ex virgine quidem natum. Machometanis in ea parte, deteriores confiteri volunt.

Quam disſimilia & pugnātia extrema primis, videtis quæ tamen omnia euentura, iam tum à principio illis à Catholicis viris ad vnguē planè prædicabantur. Vnde igitur tanta mētis cecitas? vnde hæc amentia? deſcendit dominus, & confundit linguas & ſenſus eorum, vt non audiat vnus quiſq; vocem proximi ſui, ac ne ſuam quidem quam primo conſtanter tuebatur, & pro qua fortiſsimè decertabat. Docet S. ſcriptura ſingulis Eccleſiis, ſingulos Angelos ad earum regimen & gubernationem ac cuſtodiam præfectos eſse: quas vbi voluntate Dei peccatisq; hominum deſeruerint, eas omnibus ignitis telis ſpiritualium poteſtatem patere, ac ex errore in errorem prolapſas referri. Quos Hæreſibus ac Schiſmatibus fugari, ipſasq; Eccleſias relinquere, teſtis eſt grauiſsimus auctor Hieronymus, quod iſtis eueniſse dubitandū non eſt. Verè igitur ſermo illorū ſerpit tanquam cancer, errorq; in principio paruus, in exitu infinitis partibus creſcit: nec primum conſiſtet, quam res ad eos redierit, quibus dictum eſt. Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit

¶ Ex quo malo peſsimi profectus, alia miſerabilis & funeſta naſcitur calamitas: conſcientiæ ſcilicet perturbatio & inſtabilitas mentis: qui eſt nonus Hæreſeos fructus. Cauteriatam, inquit Paulus, habentes conſcientiam: perplexitatem quandam & fluctuationem denotans conſcientiæ. Dum enim animus in eo quod maxi-

mum

mum eſt, & in quo vitæ & felicitatis ſumma conſtitit: nullum certum modum, nullum optatum inuenit exitũ, ac pro tuto portu in maiores æſtus, maioraq; naufragia ſe indies deportari videt: nec vſquam tam firmiter agit pedem, quin nouis fluctibus argumentorum inde nõ exturbetur: dici non poteſt, quantum cõmoueri & perturbari ſolet: quantum indignari & planè iraſci: nullũ mare tantis fluctibus, quantum hic animus cogitationibus æſtuare ac fluctuare ſolet. Hinc macies, hinc pallor, inediæ: hinc vigiliæ & nocturnæ excitationes: hinc in via, in balneo, ad menſam, in lecto diſceptationes ac perpetuus ad eaſdem cogitationes recurſus: hinc leui ex cauſa maximæ offenſiones & ſcandala: hinc repetitæ conſultationes, conuentus & ſynodi: hinc vitæ & lucis tædium: hinc ſpontaneæ ſibi manuum illationes: hinc aliæ infinitæ cruces. Cauteriato enim mẽbro, nulla quies. Ex qua animi ac conſcientiæ ægrimonia, exoritur metus quidam & trepidatio, vt metuant vbi non eſt timor, fugiant nullo perſequente. Virtutis enim viri fundamentum, recta conſcientia eſt. Probatum eſt hoc nuper aliquoties his proximis Tartaricis incurſionibus, quid actum, quomodo trepidatum ſit. Non factitarũt hæc maiores noſtri, quibus certa & explorata fuit pietatis & religionis ſuæ ratio: qui non niſi cum Dijs, vt aiunt, & ſacris: bona conſcientia pro fortiſsimo clypeo tecti, in aciem & certamina deſcendere ſolebant. Quan-

quam autem hi conſcientiæ tumultus in omni illos perturbent vita, maximè tamen in morte excitantur, contrariis argumentis in vtramque partem colluctantibus: aſsenſu fluctuante, Diabolo tunc omnia in immenſum augente; ita, vt vix centeſimum, æquo animo mori videas. Quam eorum miſerabilem conditionem, Vincentius Lirinenſis ante mille annos disertè in hunc modum deplorat. Et perire metuunt, & redire erubeſcunt saucii, semineces, ſemiuiui: quippe qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec viuere ſinat. Heu miſeranda conditio, quantis illi curarum æſtibus, quantis turbinibus exagitantur. Nunc etenim quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc inſemetipſos reuerſi, tanquam contrarii fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione ea quæ incerta videntur approbant, nunc irrationali metu, etiam quæ certa ſunt expaueſcunt: incerti quà eant quà redeant: quid appetant, quid fugiant: quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & malè penduli cordis afflictio, diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcirco etenim extra tutiſsimum Catholicæ fidei portum diuerſis cogitationũ quatiuntur, verberanrur, ac penè necantur procellis, vt excuſsa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatẽ ventis expanderant; ſeſeque intra fidiſsimam ſtationem placidæ ac bonæ matris reducant & teneant; atque amatos il-

Vin: Lirinen: lib: de hære. cap: 25.

ros illos turbulentosq́ errorum fluctus primitus reuo-
mant, vt posśint deinceps viuæ & salientis aquæ fluen-
ta potare. Dediscant benè, quod didicerunt non benè:
& ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi po-
test, capiant: quod non potest, credant. Hæc ille.

¶ Sequitur decimus ille letalis radicis letalior fru-
ctus, religionis vniuersæ cultusq́ diuini ruina vltimúq́
exitium. Quod non tam scripturæ testimonijs, quàm re
ipsa comprobatum est. Cùm enim vniuersa fides ac
religio Christiana, neq́ demõstratione vlla nitatur, neq́
sensui subiecta sit: sed sola fide, consensu auctoritateq́
constet. His sublatis aut saltem labefactatis: omnem
religionem auferi oportet. Hac potisśimum ratione.
Versatur quis inter Catholicos, inuenit argumenta, in-
uenit scripturas: venit item ad Sacramentarios, eadem
omnia: Item ad Anabaptistas, non infirmiora: ad Tri-
nitarios, Arrianosq́ eodem modo. Quæ omnia, ex ijs-
dem quasi scripturæ, rectæq́ rationis fontibus petita: cũ
animus infirmus, & Cauteriatus, coquere non posśit:
magna vndiquaq́ pondera rerum, & personarum dum
videt: omnia simul, cum summo acerbitatis dolore e-
uomit: vniuersamq́ abnegat fidem. Ipsoq́ infideli effi-
citur deterior, qualem nunc non vnum & alterum, sed
plenos inter nos videmus versari greges: qui illud iam
confiteri non erubescunt: se, quod in religione sequi de-
beant, planè nescire, omnia hæc quæ verisśima esse pu-

tabant falsa & conficta esse: religionis & pietatis, nihil præter speciosum nomen & titulum existere: & hæc quidem plurimi palàm: alij autem qui pauló moderatiores pudentioresq; sunt: cum palàm id affirmare non audeant, in corde tamen suo illud cum impijs occinũt, non est Deus. quorum numerus & multitudo ipsi Deo cognita sunt: esse tamen quàm plurimos, vita & mores hominum corruptissimi testantur. Euenerat hoc idem inter Philosophos quondam. Dũ enim Reges ac maximi quiq; homines philosophabantur, grauiter tunc & serio, omnes explicabantur philosophiæ partes: nihilq; affirmabatur nisi quod ex ipsius naturæ principijs, ac planè visceribus depromeretur: At, posteaquam philosophia, ad homines egentes vanos ostentationiq; deditos translata esset, qui eius finem, lucrum potius & quæstum, vanamq; gloriam, quàm veritatem sibi proponebant, tunc omnia ad nugas quasdam & ineptias, incredibiliaq; paradoxa translata sunt: quibus stultæ plebeculæ, illi ambitiosi magistri admirabiles videri voluerunt. Hinc illa omnia vnum esse, cœlum in perpetua quiete permanere, terram autem incitato cursu agitari, motum in rerum natura existere nullum: hinc niuem nigram, & quid non? quibus altercationibus eò res deducta fuit, & nihil certò sciri aut affirmari posse existimaretur: illiq; sapientissimi esse iudicati sunt, qui nihil se nec magnum nec paruũ scire profitebantur. Talis

Socrates, talis Carneades fuit. Philosophi ipsi ex vrbibus & ciuitatibus eiecti, planeq; tota ruisset philosophia, nisi illa duo sapientiæ lumina Plato & Aristoteles, rem planè collapsam seriò philosophando restituissent. Sic nimium altercando, omnis amittitur veritas.

¶ Vltimus est ille qui hæc omnia obsignat mala, tam exitiosi portenti fructus, vocata in dubium re omnium maxima & sanctissima Religione, leges item moresq; antiquos, virtutem, omneq; honestum in dubium vocari, quasi hæc hominum potius instituto & opinione: quàm vi & natura sua nitantur: sicq; omnis honesti recteq; rationis habenis solutis, omniq; disciplina sublata à virtute ad vitia, non iam pedetentim & lento gradu, sed præcipiti cursu disceditur: sic omnis honesti alea iacitur. Hi sunt igitur illi quos querebamus hæreseos proprij & peculiares fructus: non ex nostro ingenio vt videtis desumpti: sed in ipsa scriptura adumbrati, omnium autem temporum decursu exemplis comprobati. Sic igitur rem totam concludamus: si ante septuaginta ipsos vel octoginta annos hi tales fructus in Ecclesia Catholica colligebantur: falsi tunc erant illi prophetæ, qui eam profitebantur doctrinam. Si autem tum in ea negligentia quam & ipsi videmus & isti tantopere accusant, nihil horum orbem vexabat Christianũ. Nunc autem istis Ducibus & ea tam diligenti scripturarum venditatione, hi fructus, tanquam ex quadam Epime-

thei

chei Pandora promanarunt. Quid aliud dicemus, quā maiores noſtros, parum quidem illos diligentes & continentes homines fuiſſe: falſos tamen prophetas nequaquam appellari debere: hos aūt prima quidē ſpecie pietatem & veritatem preferre, intus autem lupos rapaciſſimos eſſe. Vultiſne vobis in meridie lucernam accendam? ſi iudicatum erit in meridie non lucere, hæc ita ſe non habent: ſi autem hæc veriſsima ſunt, quid amplius deſideratis in re præſertim tanti periculi? Hi enim fructus vitam ſingulorum perturbant, funeſtaq; labe inficiunt: Reſpub. euertunt, omnem autem pietatē & honeſtatem extinguunt. Eorum tamen malorum ſatores vos ſuſpicitis, ac in delicijs habetis: in manibusq; planè portatis veſtris: horum vita, fortunæ, tot confœderationibus, tot præſidijs legum, tot Sacramentis, quæ iam officina ipſa Regi exprobrare nō veretur, apud vos eſt ſacroſancta: parumq; eſt quod non puniuntur, ſed aliundè etiam conquiruntur, ſed publicis præmijs ac honoribus prouocantur, ſed in ore ipſo Regū atque Principum ea ſemina malorum iacere non erubeſcunt. Perſimilis hæc Aula eſt, diuturnæ febri, quæ nunquam ægrum deſerit, niſi prius aliquod vitium, tanquam ſignū & monumentum ſui in ægro corpore reliquerit. Sic nos nuſquam venimus, vbi non aliquas reliquias eius peſtis & contagionis, inter eius loci & vrbis homines relinquamus. Ac vereor, ne etiam in hac ipſa ab ea labe, Dei

munere,

munere, integerrima Vrbe, aliqua eius pestis semina relinquamus; quæ postea in similes erumpant fructus. Quæ omnia cui malo? Num verbo Dei, num veritati? Nequaquam. Hæc enim manent in æternum, his nulla malitia humana, aut abrogare aut derogare quidquam potest. Num Ecclesiæ Dei & Regno Christi? Nequaquam. Hæc est enim columna & firmamentum veritatis, ædificata in firma petra, contra quam, ne portæ quidem inferi quicquam præualere possunt. Cui igitur malo? Rebuspub. quarum hoc exitium, hic certissimus est interitus, Regibus ac Principibus ipsis, quibus hæc omnia exedenda erunt, quæcunq; isti diuini magistri intriuerint. Verùm dicet quis, hæc quidem de cœteris Sacramentariorũ, Arrianorum, Anabaptistarum sectis verissimè dici: Augustanę autem confessioni nequaquam conuenire. Cœterum, vultisne meũ de Augustana quod antea nunquam attuli, audire iudiciũ? breuibus accipite. Spero enim vos id quod ipsa res docet approbaturos. Plus habet de velleribus ouium, fructus autem persimillimos. Solẽt Plagiarij qui homines, vel ex littoribus, vel ex oppidis suffurantur, cum ipsi omnibus illorum locorum hominibus suspecti sint: habere secum quosdam, vel ex illis ipsis oppidanis, vel saltim persimili habitu & vestitu adornatos: hos ex nauibus ad oppida vicina dimittunt, vt familiaritate cum illius loci hominibus, atq; adcò pueris ipsis innita: eos ex oppidis in solum locũ ad littora, tanquam inambulãdi causa, edu-

1. Tim: 3.

cant. Quos vbi primum illi eduxerint isti rapiunt, ac in naues coniectos, secū in medios fluctus asportant. Plagiarijs sunt persimiles cœteri hæretici: Augustana ipsa ex hoc genere hominū insidiosorum est, qui similitudine victus & habitus, homines ex tuto Ecclesiæ Catholicæ sinu, in littora Piratis obnoxia deducit: idq; propter eā similitudinem & vicinitatē, quam se cum Catholica Ecclesia habere simulat, qua incautis & simplicibus hominibus facilimè imponit. Exaudire enim licet illas voces: eandem hanc religionē esse, ijsdem principijs & fundamentis inniti, in cultu & ceremonijs nescio quid discrepare. Quos vbi semel ex loco tuto eduxerit: hūc Sacramentarius, illū Anabaptista, istum Arrianus, aut Trinitarius quispiam rapit: cum eoq; in ipsos exitiosissimos certissimæ perditionis scopulos fugit. Quem enim isti funesti Plagiarij ex Augustanæ sinu nō rapuerūt? quem ista insidiosa Syren ex portu Ecclesiastico non eduxit? aut quis ex istis Augustanā fidem à principio non erat sequutus? Habetis veram, vt puto, Augustanæ formam & imaginem: si hoc idem res ipsa non docet, nolite credere: si autem veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Attendite igitur vobis à falsis Prophetis: sed maturè, priusquam hoc incendium ita augeatur, vt postea, nisi vestra ruina extingui non posit. Deus misereatur vestri, vt hoc tantum malum quo tot Respub: florentissimæ perierunt, à vobis auertat. AMEN.

DE CAVSIS SVPREMI EXCIDII HIEROSOLYMITANI.

¶ *Videns Iesus ciuitatem fleuit super illam, dicens: si cognouisses & tu.* LVCE XIX.

CIVItatem superbam humiliabit, humiliabit eam vsq; ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem, conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum, vt non sit amplius ciuitas, & in sempiternum non ædificetur. *Isaie 26.*

¶ Eiusdem ciuitatis supremum exitium, vltimamq; plagam, multò ante his verbis prædixit Isaias, cuius nunc acerbissimum casum letaleq; vulnus ipse deplorat sponsus & hæres. Si inquit, cognouisses & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem sunt tibi, nunc autem abscondita ab oculis tuis. Nec deplorat tantum, verũ etiam omnis istius humiliationis ac deiectionis ob oculos ponit rationem & modum. Venient inquit, dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabũt te vndiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Vt illud simul eiusdem Isaiæ completũ esse videatur. Posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non sit amplius ciuitas. Cuius tam tristis & miserabilis expugnationis, cum superiore *Isaie 25.*

anno summam,& rationem omnem vobis exposuerim: nunc quæ & quanta hæc fuerit ciuitas,& quas ob causas extremo vulnere percussa, ex tam alto dignitatis culmine deciderit,demonstrandum duxi. Vt discant Regna, resquepub. Christianæ,nō magis opibus & viribus,magnitudiniq; suæ,quam æterni parentis auxilijs benignoq; fauori confidere:simulq; illud perspiciāt,quæ causæ salutis & incolumitatis, quæ item interitus & exitij earum sint. Cui argumento tam graui & pernecessario explicando, quò pares aliqua ex parte esse possimus, opem diuini numinis imploremus.

☞ Hierosolymæ vrbis de qua nobis præsens dicēdi institutū est,vel cōditoribus & antiquitate ipsa, vel amplitudine & dignitate, vel opibus & facultatibus,viribus itē & munitionibus princeps gloria, ante alias omnes vrbes fuit, ac quasi ipsi immortalitati cōparata. Chananæi hāc multis annis ante Egyptiacam seruitutē,datamq; legē,maximis opibus,sūmisq; præsidijs condiderūt. Primus vrbis fundator Melchisedech fuit,Rex & Sacerdos Dei sanctissimus, primusq; & Regni & Sacerdotij, venturi Messiæ adumbrator amplissimus, huic Abraham victis & profligatis quinq; Regibus, ex omni illa vberrima præda, honoris & religionis causa decimā detulit partē. Magnus quidem hic vrbis conditor,sed ille longè maior,de quo Dauid. Fundamēta inquit,eius in montibus sanctis,diligit Dn̄us portas Syon
Psal. 86. super

ſuper omnia tabernacula Iacob, Nunquid Syon dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus. Hinc orta duobus totis millibus annorũ, centum & ſeptuaginta ſeptem annis, magna laude, ſummo ſplendore, maxima omnium gentiũ admiratione Princeps Imperiȷ Iſraelitici ſtetit. Sedem hic & domiciliũ nominis ſancti ſui: Regni item omniumq; promiſsionũ ſuarum, fixerat Deus ipſe. Domum Regis ædificari, arcam fœderis collocari, templum ſacratiſsimũ ac famoſiſsimum extrui in eo loco voluit: cum quo Sacra, cæremonias, ſacrificia, omnemq; cultum ſuum ita coniunxerat, vt hæc nuſquam alibi quam in eo loco adminiſtrari voluerit. Ex eo templo tanquam de ſummo cœlo, omnibus gẽtibus & nationibus, opem & præſens auxilium ſe laturum pollicebatur, quicunq; modo eò ſupplex tempore ſuo neceſſario confugiſset. Huc igitur Reges, huc Principes, huc Imperatorum quiq; maximi, preces votaq; deferebant ſua. Cyrus, Darius, Alexander Macedo, Ptolomæus, Seleucus, Pompeius, cœteriq; quàm plurimi. Sublimis tum fuit illius vrbis gloria, magna maieſtas, ſed multò maiorem ſub Rege Meſsia futuram fuiſse prædixerat Hieremias. Ingredientur, inquit, per portas ciuitatis huius Reges & Principes, ſedentes ſuper ſolium Dauid, & aſcendentes in curribus & equis, ipſi & Principes eorum, viri Iuda & habitatores Hieruſalem, & habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum.

Hie: cap. 17. & 22.

 num.

num. Et veniet de ciuitatibus Iuda & de circuitu Hierusalem, & de terra Beniamin, & de campestribus, & de montosis, & ab austro portantes holocaustum, & victimas, & sacrificium, & tus, & inferent oblationem in domū Dñi. Quæ omnia prolixissimè completa fuissent, nisi tantis pmissis, tantæq; Dei munificētiæ incredibilis illius populi malitia, & improbitas obstitisset. Meritò igitur hæc tam excelsa de eius vrbis præstantia & dignitate diuinus vates. Elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernā Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Cumq; Deus offensus placari debebat per templum, per eam ciuitatē exorari voluit. Magna igitur dignitas, magna amplitudo eius vrbis, sed & opes & diuitiæ maximæ. Tempora & opes Salomonis sic describit Liber 3. Regum. Erat autem pondus auri quod offerebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, excepto eo quod offerebant viri qui super vectigalia erant, & negociatores, vniuersiq; scuta vendentes, & omnes Reges Arabiæ, Ducesq; terræ. Fecit quoq; Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo (sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius) & trecentas

Psal: 131.

Reg: lib: 3. cap: 10.

centas peltas ex auro probato. Trecentæq; minæ auri vnam peltam veſtiebant. Poſuitq; eas Rex in domo ſaltus Libani. Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſūmitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atq; inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atq; inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, ſed & omnia vaſa de quibus potabat Rex Salomon, erāt aurea: & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſsimo. Non erat argentum nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, quia claſsis Regis per mare cū claſse Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephātorum, & ſimias, & pauos. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon, ſuper omnes Reges terræ diuitijs & ſapientia, & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius: quam dederat Deus in corde eius, & ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoq; & equos, & mulos, per annos ſingulos. Congregauitq; Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum, & diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum Rege in Hieruſalem. Fecitq; vt tanta eſset abundantia argenti in Hieruſalem, quanta &

ta &

ta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinẽ, quasi Sycomoros quæ nascuntur in campestribus. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto & de Choa. Negociatores enim Regis emebant de Choa, & statuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atq; in hunc modum cuncti Reges Hethęorum & Syriæ equos venundabant. Hactenus scriptura. Magnum hoc fuit vectigal, magnæ opes, & Regis & vrbis, quæ tamen post ipso tempore in immẽsum planè creuerant: nam & reliqui Reges & ad opes & ad ornamẽta vrbis plurimũ addiderũt. Ibiq; probatũ est quantum momenti ad omnia incrementa rerum & facultatum: æterni parentis fauor ac beneuolentia adferat. Bono igitur animo sit Rex meus, cum filium pastoris timentis Deum, ad eam opum & facultatum magnitudinem peruenisse videt. Modo & ipse Deum timeat, in omnibus mandatis & iustificationibus eius, sine querella incedat: iustitiam colat, ius ex æquo omnibus dicat, sermonibus vulgi se non det, nec in præmijs humanis spem reponat suam, suis illecebris illum virtus ad proprium decus trahat, spem autem & fiduciam omnem in Deo fonte omniũ bonorum munificentissimo reponat suam. Magnæ ergo opes fuerant illius vrbis, sed & magnum robur, vires & munitiones maximę. Isaie 29 Vocat Isaias eam ciuitatem Ariel, hoc autem est Leonem Dei, propter summa præsidia & vires. Vnde illud lamen=

lamentum Hieremiæ. Non crediderunt Reges terræ, *Tren. 4.*
& vniuersi habitatores orbis, quod ingrederetur hostis
& inimicus per portas Hierusalem. Stupebat Pompeius, inquit Hegesippus, primo suo ingressu, acres virorum animos, muri decorem & magnitudinem. Sed & res ipsa docuit. Duos enim præstantissimos populi Romani Imperatores, Titum & Vespasianum, priusquam expugnaretur defatigauit, quos ipsa obsessa aliquando obsidione cinxit, quatuor deiectis muris, temploq; succenso, triginta tamē millia Romani exercitus in vrbem ingressa: vix ad reliquias illius populi conficiendas, idq; vario Marte suffecerunt. Nec tamen vllis opibus, aut viribus humanis: sed sūma sua nequitia, & improbitate consumpta perijt: dum plures interna seditio, quam externum confecit bellum, Romanis spectatoribus potius tantæ vrbis ruinæ, quam expugnatoribus. Omnia igitur in ea vrbe magna, omnia immortalitati comparata, quam ipse spiritus sanctus, qui nec assentari nec mentiri potest, per os Hieremiæ. Dominam gentium, Principem Prouintiarum, Vrbem perfecti decoris *Tren. 2.*
& gaudium vniuersæ terræ appellare solet. Quæ igitur causa tam fœde ruinæ? Cur proiecit dominus de cœlo inclitum Israel: & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui? Superfluum credo videbitur, causas interitus & euersionis eius vrbis curiose perquirere, cum illa sola sufficientissima sit, quam tot pro-

 phetæ

phetæ, tot sanctissimi prædixere viri. Mors inquam Iesu Christi veri Messiæ. Quam rem sic prædixit Amos Propheta. Super tribus, inquit, sceleribus Israel, & super quarto non conuertam eum: pro eo quod vendiderunt pro argento iustum & pauperem pro calciamentis. Et Micheas. Tunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerat super nos, in virga percutiet maxillam Iudicis Israel. Et ante hos ões Iacob. Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Et ipse Saluator. Quia, inquit, non cognouisti diem visitationis suæ. Mors Messiæ, mortis & interitus illius vrbis causa fuit. Verũ Christiani mei, hoc malú multa antecesserunt alia mala, nec fuit hoc primum peccatum Israel. Sic enim existimare debetis, peccata peccatis vindicari, idq; leuiora grauioribus semper, si maturè vera pœnitentia & intimo animi dolore non expiantur, donec insigni aliqua ac incurabili obsignentur calamitate. Docet hoc Diuus Paulus, dum quæ causa fuerit excœcationis lapsusq; veterum sapientum exponit. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapiẽtes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; propter quod tradidit illos

Amos capite 2.

Micheæ cap: 5.

Gene: 49

Ad Rom: cap. 1.

Deus

Deus in desideria cordis eorũ, in immundiciam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, hæc Paulus. Quod idem nũc pãssim euenire videmus, Ecclesiã Dei, Ouile Christi deseruit quis, hæreses sequutus est, templa arasq́ Deo dicatas expoliauit atq; euertit, vasa Sacra per sacrilegium abstulit. Sacerdotes pulsauit, Sacramentis salutis suę remedijs manus violentas intulit, Baptismi fidem datam prodidit, filium Dei blasphemauit & ostentui habuit, fidem abnegauit, non primũ hoc fuit eius hominis peccatum: multorũ scelerum hic vltimus fructus & obsignatio est. Qualem plagam & vindictam ne sibi eueniat, magna animi submissione depręcatur Dauid. Ne projcias me inquit à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi læticiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Magnum hoc est diuini furoris argumentum, vltima sceleris vindicta. Nec populi ergo Iudaici primum scelus fuit mors Christi, complementũ & obsignatio hæc fuit vniuersi cursus nefarij, vt veniret super illos omnis sanguis iustus, à sanguine qui effusus est, super terram iusti Abel, vsque ad sanguinem immaculati Agni IEsu Christi. Sed quæ tandem mala hoc vltimũ sine remedio pepererũt malum? aut quibus gradibus hæc tanta ciuitas ad eam tam exitiabilem delapsa est calamitatẽ?

Psal: 50.

¶ Prima illa fuit malorũ causa, primusq́ præcipitij gradus, legis diuinæ auitæq́ religionis, quæ vna & sim-

 plex

plex semper in illo populo fuit, in multas sectas, variasq; hæreses distractio. Cùm enim primis temporibus gens illa vno animorum & voluntatum sensu & consensu Deum coluisset, legemq; eius & Prophetas interpretaretur, vno item nomine Israelis populiq; Dei appellabatur. Posterioribus temporibus ocio & rerum omniū copia, veterisq; disciplinæ remissione deprauati, curiosius minusq; sanctè & sobriè arcana legis tractare cœperūt: inde in varias sectas, variaq; Schismata discessū est noua quædam nomina legi, maioribusq; eorum incognita vsurpari cæpta: dum se alij Sadducæos, alij Scribas, alij PHARISæos, alij Hæremobaptistas, alij Nazaræos, alij Ossænos, alij Hærodianos, alij Essæos dici volunt: quæ nomina tumprimùm inuecta sunt, vbi ipsa Respub. & ciuitas ad certum exitium & calamitatem propendere cæpit. Ex quibus sectarū partibus quidam totam legem, omniaq; ea quæ à prophetis erant prædicta amplexi sūt, vt Pharisei. quidam arbitratu suo, alios quidem libros quos sequerentur laudabāt: alios prout illorum sensui, voluntati, vtilitatiq; applaudebant, tanquā prophanos minusq; germanos reijciebant, vt Sadducæi. Quidam Deum omniū bonorū fontem & authorem esse prædicabant, ab eiusq; munifica prouidentia cælum & vniuersam naturam complectentem, omnia expectanda esse docebant. Animas nostras diuinas & immortales esse, quibus pro virtutis studio cælestis hæreditas, pro scelere aūt æternū paratū sit supplicium,

Phariseorum & Essæorum fuit hoc iudicium. Quidam casu & temeritate omnia fieri, post hanc vitam nullam aliam superesse lucem arbitrabatur, ijsdem finibus virtutis & pietatis præmiũ, quibus vitam & sensum terminari, vltra tumulum extremosq́ꝫ cineres, nihil hominis superesse: præmia bonorũ, pœnas autem malorum esse nullas. Sadducæorũ hic stultus & exitiosus error fuit. Alij solis diuinis promissis contenti, nihil his externum admiscebãt. Alij pręter hęc Græcorũ fabulis, de beatorũ Insulis ac Hesperidum felicitate assentiebantur. Sic in varias sectas hæresesq́ꝫ diuisi, quisqꝫ in eam partẽ in quã sibi vtile esse existimauit, sensum & mentem legis trahebat, ex vnaqꝫ vera & simplici religione, multas vanas falsasq́ꝫ superstitiones pepererunt. Habent autem hoc malum Hæreses atqꝫ Schismata, varijq́ꝫ de Deo sensus: vt quascunqꝫ Respublicas semel inuaserint, illæ salutem & incolumitatem suam nullo modo diutius tueri, aut conseruare possint. Hicq́ꝫ fuit primus illius ciuitatis ruinæ impulsus, hæc prima inclinatio, & quos tempore Hyeroboam, aliorumq́ꝫ Regum, qui à vero discesserũt Deo excelsa, & luci falsorum Deorum non perdiderũt, hos Hæreses & Schismata ad vltimã internetionem deduxerunt. Testatur hoc ita esse, vetustissimus scriptor Hegesippus. Præter, inquit, sectarum & cultus diuersitatem, quæ in malum publicum eruperat, vt è diuerso se perditos vellent, auaritia habendi & rapiendi cupido ani-

animos inuaſerat, vt nullius quem prędæ ſtudio deputaſsent, neci parcendum exiſtimarent.

¶ Fuit ſecunda illa tantæ ruinæ non minor cauſa ſumma illius populi arrogantia, maximus faſtus cum incredibili quadam pertinatia, animiq; ingratitudine cōiuncta. Qua primum ipſum Deum, ſanctiſsimaſq; illius leges deſpexerūt, vt illud planè ſublato ſuperbè in cœlū ore dicerent. Manus noſtræ excelſæ, & non dominus fecit hæc omnia: lingua noſtra à nobis eſt, & quis noſter eſt dominus. Nuſquam ius, nuſquam religio fuit: nobilior is erat qui plura diripuerat, quaſi præmia congerens fortitudinis, vt ſcribit Hegeſippus. Deinde prophetis eius, ſignisq; ac portentis euidentiſsimis, quæ illorum certiſsimum denuntiabant, ac vix non digito demonſtrabant præſens exitium, nullam fidem adhibuerunt. Omne inquit, Ioſephus, ab illis ius humanum calcabatur. Ridebatur etiam diuinitas prophetarum reſponſis, tanquam vulgaribus fabulis illudebant: certis verò prodigijs & futuram ſolitudinem denuntiantibus, neq; attēdebant animo, neq; credebant; ſed veluti attoniti, nec aut oculos habentes, aut animos. Edicta Dei diſsimulare, ſignorum quædam pro ſua libidine interpretati ſunt, alia contempſere, donec patriæ excidio ſuaq; pernicie eorum iniquitas cōfutata eſt, hæc ille. Hinc eorum ſuperbia profecta finem inuenit nullum, Sacerdotes, Reges, Duces, alioſq; domeſticos magiſtratus,

tus, ipsumq; adeò Regem Messiam contumeliosè spreuerunt: pro Rege Cœsarem, fatali & impia voce apud Pilatum appellantes. Sed neq; hunc diu patienter pertulerunt, nam qui suos perferre non poterant, tanto minus alienos. Licentia enim non id querit, vt is aut ille præsit & imperet: sed vt nemo omnino sit quem metuat, quiue eius effrenatæ cupiditatis habenas imponat: quæ dum palam dicere erubescit, semper in eo magistratu qui præsēs est aliquid desiderat: spreuerūt ergo suos, spreuerunt & Romanos, quibus se spontè dediderant magistratus. Simon primus seditionis dux & auctor, tributum Cæsari reddendum negauit, indignum esse clamitans, populum Dei infidelis populi tributarium esse, iniquum gentem, liberam, quæ seruiuit nunquam, sumptu simul templi & fisci exhauriri. Sequutus est hunc vir præcipitis audatiæ Eleazarus, militiæ dux, hic nullius externi munus aut hostiam in templo Dei acceptādum aut offerēdū esse populo persuasit. Id autem erat, inquit Iosephus, Romani belli primum seminarium & prima origo. Reiecit si quidem eas hostias Cæsaris, quæ pro salute fortunaq; populi Romani offerri solitæ erāt, Pontificibus, alijsq; Principibus Reipub: reclamantibus, ac ne vetustissimus honorificentissimusq; & templo & vrbi mos pro Regibus supplicandi intermitteretur, nequicquam postulantibus. Quam insignem contumeliam, dum Romanus perferre nō potest, arma bel-

Ioseph lib: 2. cap: 7. de bello.

Ibidem cap: 17.

lumq;

lumq; sumpsit, pacem ergo fastu & superbia elati violauerunt virtute non pares.

¶ Tertius gradus funestæ calamitatis fuit, summa Principum templi pariter ac Reipub. ambitio, & dominandi cupido, eiusq; causa ad externos Principes eosq; infideles cum turpi assentatione coniunctus recursus. Quod à Sacerdotibus qui plerunq; pro eo, quod omnis moderationis, continentiæ, mansuetudinis auctores esse deberent: omnis improbitatis, sceleris, cupiditatis Duces & Principes fiunt, initium & exemplum sumpsit. Primus Simon de tribu Beniamin Seleuco Asiæ Regi potentiæ suæ firmandæ causa, summiq; Sacerdotij consequendi, thesauros depositumq; templi prodidit. Quam rem sic narrat secundus Machabæorum liber. Cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges autem adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis dispositionem & pietatem, & animos odio habentes mala; fiebat vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent; ita vt Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat obsistente sibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Thraseæ filium, qui illo tempore erat

Machab. lib: 2. ca. 3.

erat Dux Cœlesyriæ & Phænices,& nũtiauit ei pecunijs innumerabilibus plenũ esse ærariũ Hierosolymis,& cõmunes copias immensas esse,quæ nõ pertinẽt ad rationem sacrificiorum,esse autẽ posibile sub potestate Regis cadere vniuersa &c. Deinde Iazon frater Oniæ,sũmum Sacerdotium maxima vi auri apud Antiochum redemit. Quod idem Machabæorũ liber sic docet. Sed post Seleuci vitæ excessũ, cum suscepisset Regnũ Antiochus, qui nobilis appellabatur,ambiebat Iazon frater Oniæ sũmum Sacerdotium, adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus alijs talenta octoginta. Super hoc promittebat & alia centum quinquaginta,si potestati eius conderetur gymnasium & ephebiam sibi constituere,& eos qui in Hierosolymis erant Antiochenos scribere. Quòd cùm Rex annuisset & obtinuisset Principatũ,statim ad gentilem ritum cõtribules suos transfere cœpit. Erat autem hoc nõ initium, sed incrementũ quoddã & profectus gentilis & alienigenæ cõuersationis,propter impij,& nõ sacerdotis Iasonis nefariũ & inauditum scelus: ita vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent,sed contempto templo & sacrificijs neglectis festinarent participes fieri palestræ,& prębitionis eius iniustę,& in exercitijs disci : & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur. Hactenus scriptura. Qua de re in eum modũ Iosephus apud Hegesippum

Ibidem Cap:4.

Hegesi: lib:5. cap 16. sippum latius cõquæritur. At verò nostri dum Sacerdotium inter se competunt, & apud Parthos ambiunt cõferri sibi memoratum honorẽ, de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babyloniis querimur? Nostros experti sumus deteriores: Illi nobis reddiderunt omne ius religionis, illi Sacerdotũ creationem restituerũt, Illi Sacerdotales Infulas permisernut nostræ potestati, nos eas Barbaris spontè tradidimus. Minor est circa nos ira Dei, quam nostra contentio. Hinc eò processum est, vt *Ibidem libro 4. cap: 6.* ignobiles atq; indigni substituerẽtur Sacerdotum Principes, qui cõtra meritũ suum adepti Sacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitrio subyciebantur. Eamq; ob causam æquo Deoq; digno iudicio Hierusalem vna cum Sacris & Sacerdotio suo, cuius impios mercatus exercuit, non multò post in Antiochi peruenit potestatem. Exciperunt à Sacerdotibus parem ambitionem, paresq; ambitionis artes, reipub: Principes: Aristobulus & Hyrcanus fratres, qui cũ inter se de Regno conuenire non possent, Romanos à quibus ignorari satius fuit ad cognitionem & arbitrium Regni inuitarunt, rogaueruntq; amicitiam fidem non seruaturi. Ad Pompeium igitur cum Imperio tum Asiam tenentem primo confugiunt, ab eoq; paternũ Regnum ambitiosè petunt. Recipitur in vrbem exercitus Romanus, suisq; manibus aperiunt portas: non multò post vrbis & templi expugnatoribus. Ad templi irruptionẽ ipsi fossas replebant, impioq;

impiocꝫ ministerio & turpi obsequio seruierunt, manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio. Horum igitur contentio, inquit Iosephus. Pompeium intulit ciuitati, & Romanis Iudęos indignos libertate subiecit: sic spontè ambitio ciuilis externo detulit imperium, & suscipit Romanũ iugum. Consecuta fuit & alia magis exitiosa inter Alexandrum, Aristobulum, & Antipatrum Herodis filios Regni contentio: quorum illi priores duo ex Ariamne Regio sanguine orta, Rege Herode nati: posterior hic ex Dosidæ priuata muliere ipso Herode priuato genitus: illi genere, hic gratia patris elati, cõmunis & sibi & patri, & aliĳs multis Reipub. denicꝫ ipsi causa fuerunt exitĳ. Quis Romanos in Iudæam introduxit? inquit Iosephus, nisi Hyrcani & Aristobuli contentio. Quis Sosium? nisi Herodes. quis Antonium? nisi Sosius. quis Cæsarem implorauit sibi Regem? nisi vos. quis præter vos Antipatrum Regno expulit & libertatem in Antipatro. Sic dum vtrincꝫ Regnum quæritur, vtrincꝫ seruitus accersitur & accipitur. Fœda res est ambitio, quæ vt suis imperet alicuius seruire non erubescit, omnia deinceps à Romanis quærebantur & petebãtur.

¶ Eam ambitionem sequutus est quartus ille exitiosissimus ruinæ gradus. Factiones ciuiles domesticicꝫ tumultus, qui specie quidem dignitatis & libertatis tuendæ causa suscipiebantur, re ipsa autem regnum & dominationẽ quorundam astruebant. Dum enim quisqꝫ in

 Repub.

Repub: primus esse vult, eaq; res opibus & adminiculis hominum opus habeat, ad demulcendum populum se confert: sed cum singulorum opes, ad omnium conciliandos animos sint paruæ species libertatis, qua nihil gratius hominibus videri solet, stultæ obijcitur plebi, sub eiusq; patrocinio factionũ firmantur partes. Sic tum in duas cõtrarias dissẽsionũ partes diuisa fuit Respub. alteram popularem: Optimatum alteram. Popularis factionis Duces fuerunt, Eleazarus, Simon, Ioannes, alijq; eius generis, lingua & manu prompti iuuenes. Qui cum sua captandæ popularis gratiæ causa per luxuriã dissipassẽt bona, maximo ære alieno pressi, perturbationem negotiorum Reipub. lucrum suum esse putabant: qua salua ipsi salui esse non poterant. Publicæ igitur libertatis causam, contra vim & potentiam populi Romani, cui neq; tributa reddenda, neq; vota pro illius salute suscipienda esse censebant, se suscepisse profitebantur: indeq; Græco nomine Zelothæ tanquam legis ac libertatis publicæ vindices & assertores appellabantur. Optimatum Duces Ananus Pontifex, vir præstantissimus, Iosephusq;, qui postea totam illius vrbis cladem & excidium conscripsit fuerunt. Qui cum facilè animaduertissent, seram illam tuendę libertatis deliberationem esse, nec tumprimum Romanis viribus ac potestati resistẽdum fuisse, cũ iam intra muros ipsiusq; vrbis viscera versarentur: sed multò ante rebus integris,

tum

tum cum sponte per nimiam ambitionem accersebantur, illi malo obsisti debuisse. Suadebāt igitur populo, vt DEI voluntati ac iustissimæ vindictæ, ipsiq; adeo necessitati cederent, hæcq; fuit quasi prima in aciem ciuitatis illius deductio. Duo sunt omnibus Rebuspub. si diu saluæ & incolumes permanere volunt, omni studio & diligentia prouidenda. Primum, libertas omnibus rebus humanis anteponenda, pro illiusq; incolumitate & integritate totis viribus & opibus dimicandum. Est enim libertas, pulcherrimum quoddam & humanæ naturæ accōmodatissimum bonum: sine qua nihil cuiquam iucundum, nihil dulce esse potest: sine qua vita ipsa parum vitalis esse videtur. Deinde nulli æquè fugiendi quàm illi, qui eius libertatis vindices & assertores nimis videri volunt. Tales enim sub ea libertatis specie Respub. ferè omnes perdiderunt. Sic Pericles Atheniensium ciuitatem, quæ cum Solonis legibus & institutis, ex Optimatum populiq; administratione temperata fuisset, assentator populi factus Senatus, autoritate diminuta totam popularem fecit. cui dum ipse homo acer, & prudens præfuisset, florebat vtcunq; illius prudentia ciuitas: at vbi ad alios Duces, ipsumq; populum eius gubernatio delata est, funditus interijt. Sic Cæsar & Pompeius Romanum subuertere imperium, dominationem enim vtriq; quæsitam fuisse, non id actum, Beata, libera, & honesta ciuitas vt esset, ac vtrunq;

regnare voluisse docet prudentissimus Senator. Sic Hierosolymam isti eius libertatis & dignitatis nimij assertores, de quibus diximus hac ratione qua dictum est perdiderunt. Multis enim dum libertas quæritur, seruitutem accersiri dicebat Agrippa. Libertatis igitur custos lex sit, quæ sūmis ac infimis æqua reddat & perscribat iura, æquitate constituendi, summa cum infimis pari iure retineantur. Male paucis tantus cōmittitur thesaurus.

¶ Ex hoc quarto illud quintum & vltimum consecutum erat malum, externus in vrbem inductus miles. Cum enim homines populares Optimatibus pares esse non potuissent, Idumæos accersunt, genus hominū turbarum auidum, ad omnesq́ motus facile suspensum, & rerum mutationibus lætum, quod veluti ad festorum quandam solennitatem, sic ad prælia ꝑperabat. Immittuntur in vrbem ad viginti millia hominum egentissimorum, quam ingressi nulli pepercere: tum quod natura ad cœdes propenderent, tum quod Hyeme grauiter afficiebantur, tam supplicantibus quam repugnantibus infensi, nullus autem fugiendi locus, neq; spei salutis erat, ita octo millia & quingentos mortuos dies inuenit. Demum quæ mala consecuta non sunt. Nolite putare vllum monstrum, vllam pestem, vllam labem Rebuspub. nocentiorem esse, quam sunt factiones ipse, vbi in apertum erumpunt tumultum. Quid tum mali quasi

erecto licentiæ vexillo non cõsequitur? legibus, iudicijs, Reipublicæq; institutis, iureq; vniuerso sublato ac quasi publica sententia in vitam & fortunas omnium hominum impunè violandas perlata. Nihil tum fit cuiquam proprium, non domus, non vxor, non liberi, non vita deniq; ipsa. Et quæ quondam fuerunt vitę solatia, in causas doloris & acerbitatis vertuntur. Non agri conseruntur, non pascua curantur, non vineę aut horti excoluntur, nõ mercimonia exercentur, non nauigationes instituuntur, officinæ clauduntur, litteræ & studia conticescunt, nulla publica aut priuata ædificia surgunt, sed vastitas & tristis desolatio occupat omnia. Ab audacissimis & egentissimis hominibus carceres effringuntur, tabulæ publicæ exurũtur, domus potentum & diuitum liberè distrahuntur, horti & vineę succiduntur, templa porticus aliaq; publica ornamenta demoliuntur, nihil tum improbæ cupiditati fit satis. Coniuges liberi ante ora vultusq; parentum turpiter diuexantur, nulli ætati, nulli parcitur sexui, nihil ab hoste irato impetratur. Desolationẽ agrorũ ac dissipationem horreorũ, consequitur fames, famem dira pestis. Tulit hæc omnia priusquã perijt domestico tumultu vexata Hierosolyma. Nam in seditione quasi seditio facta est, alia pars in aliam versa, homines populares qui templum occuparant, dum se mutuò perferre non possunt in seipsos vertuntur. Occupat Eleazarus cũ suis superiorem templi par-

psi partem. Ioannes inferiorem, Simon eam vrbis, quæ templo subiacebat occupauerat regionem: ita lædebant pariter ac lędebantur, dum à superioribus inferiores oppugnantur, medij ab vtrisq;. Sic illa pietatis & religionis sanctissima sedes, facta fuit tumultus & seditionis area. Ab alia Optimatium factione impetus in templum fiebat, vineę ac reliquæ munitiones, quę pro templo extrui debebant, contra templum erigebantur. Ante aras ipsas Sacerdotes senes, pueri ac nobilissimæ fœminę cędebantur: vt vnde spes salutis referri debebat, inde certissimus reportabatur interitus, multi qui properantes ab vltimis finibus terræ, ad Sanctissimũ locum Religionis causa venerant, ante ipsas hostias occubuerunt, aramq; vniuersis Græcis & Barbaris admirandam suo sanguine imbuerunt, Sacerdotes inter eas quas mactabant victimas immolabantur. Ciuibus mortuis aduenæ, Sacerdotibus prophani miscebantur, perq; atria diuina stagnum fecerat diuersorum cadauerũ sanguis. Sic dies in sanguine noctes in formidine transigebãtur. Fames fuit maxima lacertis viridibus, inquit Hegesippus, cæterisq; serpentũ generibus coctis exuuijs, pestem addebant: paruos liberos macie consumi, & aperta ora frustra extendere videbant, exhausti famæ & tabe luridi, nec oculos quidem attollere poterãt: figura sola hominis remãserat, vsus interciderat: simulachra hominũ cerneres, officia desiderares, mutis tãtum sensibus aspiciebant

Hege: lib: 5. ca: 22.

Ibidem cap: 18.

Ibidem cap. 21.

ciebant templum. In Romana castra confugientibus, Hegesip: libro 5. cap: 24.
vbi cibus datus est cœpit oneri esse, desuetis edendi of=
ficiis, si quid sorbuissent mollioris alimoniæ, interclusis
iam fauciū meatibus, strangulabantur. Obriguerūt in=
teriora viscerū, obstructi erant ductus ciborum. Arue=
runt iecoris venæ, quæ cibos attrahunt, virtus defecerat
cibi appetitu manēte. Ruebant super cibos & inualidos
morsus, more infantium molliebantur, visis alimentis i=
pso gaudio deficiebant. Matres liberis nefario facinore
pastæ, aperto ore sicut auidi canes auram captabant,
huc atq; illuc circumlati inopia duce. hactenus Hege=
sippus. Sic iniusta Iesu Christi sitis, quam isti felle &
absintio exacerbarunt potius quàm extinxerunt, iustis=
sima extremæ famis pœna vindicata est. Ex fame pestis
orta. In templo ipso persequitur rem narrando Hege=
sippus, pro vnguentis benè olentibus, pro incensis be= ibidē lib: 5. cap: 2.
nè spirantibus, pro diuersorum florum odoribus, grauis
erat insepultorum cadauerum fœtor, quos pluuia dis=
soluerat, quos flamma cōbusserat, quos sol calefece=
rat, omnes artus cæsorum ciuium diro odore fœtebant:
hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum ni=
dor, sensus omnes atq; ora complebant viuentium, vt i=
psi non multò pòst grauiore morbo consumerentur, ac
se superstites ingemiscerent, quò duriore pœna perirent,
eoq; seruatos vt viderent cum patria simul solui etiam
leges naturæ, negari ius viuentibus, pacem ciuibus, se=

 pulturam

pulturam defunctis, humana pariter atq; diuina macu=
lari ac pollui, permixta omnia, criminosam esse miseri-
cordiam, religionis loco haberi crudelitatem. Castrum
in templo, bellum in limine, fumus in altaribus. Mathæ=
Hege: lib: 5. cap. 12. us miserabilis & senex & sacerdos, ictum carnificis su=
per colla pignorũ ipsis primo in oculis suis cæsis exce=
pit, quò spectaculo nihil funestius, nihil calamitosius
Iosephus lib 4. ca. 2. de bel. extitit. Iacebãt tum in medio foro duorum Sũmorum
Pontificum, inquit Iosephus, Principum Reipub. annani
& Iesu, paulò ante sacris indumentis toto orbe celeber=
rimè religionis amicta, nuda corpora sine sepultura, ca-
nibus & feris proiecti esca. Illudq; Dauidicum testatur
Psal: 78. esse completũ. Posuerunt morticinia seruorum tuorum,
escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorũ bestijs
terræ, effunderunt sanguinem ipsorum, tanquam aquã
in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Rue=
bant ambusta mollium, deuoluebantur sublimium æ=
dificiorum culmina, sanguine, fame, peste, incendio, rui-
Ad Hebr. 10. na tota vrbs consumpta perijt. Tam durum & amarũ
est, incidere in manus Dei viuentis & vlciscentis. Tum
senes ac mulierculæ intestinis malis attonitæ, pro Ro=
manis vota faciebant, externumq; bellum quo domesti-
cis malis liberarentur expetebant. Exclamat Iosephus.
Quid tandem passa es o miserrima ciuitas à Romanis?
qui tua intestina scelera purgatori flammis introiere.
Iam enim Dei locus non eras, neq; permanere poteras
domesti-

domeſticorum funerũ facta ſepulchrum, præſertim tu- orum, quos ipſa occideras, non quos ab hoſte amiſeras. His igitur quaſi gradibus à ſalute ad tam crudelem in- teritum diſceſſum eſt: vt neq; antiquitas vrbis, neq; in- gentes diuitiæ, neq; per totum orbem diffuſa fama, nec magna religionis gloria quicquam iuuerit, quò minus periret: ſed, nec nobilitas, nec præclara geſta Patrum; nec mirum, ſi Patrum amiſerunt merita, quorum fide, pietate, virtute prodita, deſideria item & expectationẽ venturæ ſalutis prodiderunt. Facta eſt igitur ciuitas in tumulum, vrbs fortis in ruinam & deſolationem. Ne- que verò aut viribus & exercitibus, aut Imperatoribus Romanis ceſsit, ſed ſua illam malicia ſuæ perdiderunt factiones. Fatebatur hoc ipſe Romanus Imperator Ti- tus, indignitate ab ipſis ſuccenſi templi ſacratiſsimi per- motus. Cur inquit templum & externi & gentilis ſan- guinis effuſione polluiſtis? Teſtor ego Patrios Deos: &, ſi quis vnquam hanc vrbem aſpexit, nunc enim neminẽ credo: iterumq; teſtor exercitum meum, & vos ipſos, quod non ego hæc vos violare compellam, ſeruabo aũt vobis templum etiam nolentibus. Compellat demum Ioannem ſeditionis autorẽ pertinaciſsimum. Fide mea ſalua hæc omnia tibi futura ſpondeo, veniam tibi ſalu- tis polliceor, non pro mercede ſceleris, ſed pro redẽptio- ne vrbis, vt à te redimam periturorum culminum ſta- tum. Deſinas moneo latrocinijs tuis conturbare pro-

Heg: lib 5. cap: 2.

Ibidẽ cap: 31.

Ibidem capite 34.

positum pietatis Romanæ. Quid sibi volunt Ioannes, impressi illi ante fores templi apices elementorū? Nonne significant neminem, nisi sacrarum debere templo appropinquare? Quid illa septa pro templo? Nonne vt conspectus arceant vniuersorum liberos, solisq; mysticis pateat secretorum cognitio: atq; his sit liber a pectus, quibus est legitimus ingressus? Prospectus excluditis peregrinorum & accessus cogitis. Scribitis, vt nullus ingrediatur aduena, nullus peregrinus introeat, & peregrinum sanguinem intra templum funditis, aduenarumq; simul & ciuium cruore vestra altaria cumulatis. Testificor ego non impressionis nostræ esse, sed vestræ præuaricationis, quòd violatis quæ vestra sunt. Ego alienus non exigo, imò obtestor si velitis discedere, incolume templum futurū: neminem Romanorum hostiles irrogaturū manus, nihil de vestris temerandū esse sacrificijs. Seruabo templum vobis & proselytis: cultus enim sacrorum diuersus, sed operis cōmunis vsus. Quod cultus fuit, à vobis recessit: quod operis est, victoribus remansit. Seruiuimus vobis, vt vestris legibus viueretis: dedimus potestatem vestris inseruire cultibus. Sacra vestra scire noluimus, sed honorauimus. Posteà rebellandum putastis. Pompeius templum cœpit, sed nō diruit: vrbem occupauit, sed integra omnia reseruauit donaria. Pro quibus o grati socij, hanc vicem nobis rependistis, vt tertiò rebellaretis. Veni ad bellum specie

terren-

terrentis, affectu rogantis. Quoties à mœnibus vestris vocaui exercitum? Quoties postea à penetralibus templi retraxi? Quoties restrinxi incẽdia? Quoties monui? Sed nunquam audistis. Sic demum vltimo obtestatus est Israeliticum Deum, vbi funestum matris facinus, quæ tum impiè & inhumaniter filium suum vltima fame pressa deuorarat, cognouerat. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me absoluo, quæcunq; in cœlo potestas es: scis, scis profectò, quia intimo affectu pacem frequenter obtuli, & quod non pudet dicere, victor rogaui: quia parcere etiam ipsis tantorum flagitiorũ prodigiorumq; autoribus volui, parcere populo, vrbem seruare: sed quid facerem repugnantibus: sed quid facerem aduersus suos furentibus? positis plerunq; armis, quia illi à suorum cædibus non desinebant, in bellum reuerti, vt liberarem obsessos, non perderem: ipsi nos de muris hortati sæpè sunt dimicare, ne grauius à suis perirent. Quales sunt ciues, quibus hostis remedio est? His ex causis igitur tanta perijt ciuitas. Gens electa, Regale Sacerdotiũ, ciuitas referta populis, clara Regibus, amica Deo gratiæ sedes, vrbs quæ solebat sine armis vincere, populus, cui sol stetit, mare & Iordanis cessit: quod enim remedium, quæ ratio salutis, vbi autor vitę & incolumitatis non reconciliatur. Omnibus autem Regnis ac Rebuspub. specimen & exemplum datum, quid sequi, quid declinare debeant, si diu felices & incolumes

Hegesip: lib. 5. cap. 41.

Ibidem lib. 5. cap. 22.

 lumes

lumes permanere velint. Tibiq; inprimis Patria mea, hodierno die speculum propositumest, in quo diligenter vultum faciemq; intuearis tuam: num similibus aut Hæresum, aut arrogantiæ, aut ambitionis, aut factionum inquinata sis maculis: quæ si absunt, Deo soli id acceptum referas: si autem à planta pedis, vsq; ad verticem capitis, sanitas in te non est: exterge maculas, ablue sordes tuas, priusquam sententiam iudicis audias. Venient in te dies, quando proijcient te inimici tui in terram, & filios tuos, & non relinquetur in te lapis super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. Neq; enim melior conditio esse potest syluestris oleastri præ germana oliua. Nec serius adoptatæ filiæ
Psal: 131. præ illa vrbe cui dictum est. Hæc requies mea in sæculũ sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Verum dices fortasse, Iesum Christum auro non vendidi: at causam religionis eius aras & templa, at ius & æquum, vel pretio, vel gratia sæpius prodidisti. In horto captum non ligaui, at manus omnipotentiæ eius multoties ligasti: cum omnipotentem diuinitatem eius, non plus posse quam angustus sensus aut mens tua capit: stultè iudicas, nec plus illi fidei habes, nisi quantum vis & intelligis. Faciem eius non conspui, colaphis non cecidi, tergum virgis non percussi: at vnicam sponsam eius Ecclesiam, tot calumnijs, tot maledictis dilacerasti: at matrem eius Virginem Sanctam impudica dicacitate to-

ties

ties læsisti: at faciem æternæ diuinitatis eius, quod longè maius est, tot nefandis blasphemijs violasti, coronã spineam capiti eius non imposui: at diuinitatis coronã ex capite eius nefariè detraxisti. In crucem Saluatorẽ mundi non sustuli, at ex solio dexteræ Patris impiè & sceleratè detrahere conata es. Regem meum non occidi, vt hominem non occidisti: vt autem verum Deum, quantum in te est, Arriana perfidia, quæ in te sedem posuit suam extinguere molliris, dum eum in æternitate natum & viuentem non agnoscis. Vtinam igitur & tu cognoscas diem visitationis tuæ, priusquam hæc omnia mala veniant in te, quæ tu ipsa manibus tuis attrahere, illisq́ viam latissimam sternere videris. Ego quidem pro meo officio quod debui dixi: tu autem vide quid tibi faciendum sit, antequam præueniat te dies Domini magnus, & terribilis valde, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis & quis sustinebit eum? Hierusalem Hierusalem conuertere ad dominum Deum tuum. AMEN.

IMPRESSVM,
In officina Nicolai Scharffenbergij, Typographi Sac. Regiæ Maiestatis, M, D, LXXVIII.